



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Iosephi Speranzæ, Congregationis Oratorii Fanensis  
Presbyteri, Scripturæ Selectæ**

**Speranza, Giuseppe**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Jactantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44265**

Ille autem irridebat eum, dicens: Ergo hæc parietes faciunt Christianos? Et hoc sæpè dicebat, jam se esse Christianum: & Simplicianus illud respondebat, & sæpè ab illo parietum irrisio reperebatur, amicos enim suos verebatur offendere superbos Dæmonicos. Sed posteaquàm legendo auxit firmitatem, timuitque negari à Christo coram Angelis sanctis, si eum timeret coram hominibus confiteri, reusque sibi apparuit magni criminis, erubescendo de sacramentis humilitatis Verbi tui, & non erubescendo de sacrilegiis superborum Dæmoniorum, quæ imitator superbus acceperat, depudit vanitatem, & erubuit veritati, subitoque, & inopinatus ait Simpliciano: Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri. At ille non capiens se lætitiâ, perrexit cum eo. Ubi autem imbutus est primis institutionum Sacramentis, nõ multò post etiam nomen dedit, ut per Baptismum regeneretur. Denique, ut ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ memoriter in conspectu populi fidelis reddi solet ab eis, qui accesserunt ad gratiam, oblatum illi fuit à Presbyteris, ut secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundiâ trepidatui videbantur, offerri mos erat: ille autem maluit salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri. Ascendit igitur, ut redderet, & omnes sibimet invicem, quisque ut eum noverat, intrepuerunt nomen ejus strepitu cõgratulationis. Quis autem ibi non eum noverat? Et sonuit presso sonitu per ora cunctorum collatantium, Victorinus, Victorinus Cito sonuerunt exultatione, quia videbant eum, & cito siluerunt intentione, ut audirent eum. Pronunciavit ille fidem veracem præclarâ fiducia, & volebant eum omnes rapere intro in consuetum, & rapiebant amando & gaudendo. Hæc rapientium manus erant.

Matth. 5.

*Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Inhonora-  
vimus Patrem, blasphemari fecimus, (d  
quoties! Nomen ejus, curemus, ut glori-  
ficetur, & c.*

Caveamus solum inanem gloriam, & jactantiam, nec queramus gloriam no-

stram, sed gloriam Dei, & c. ne nobis accidat, quod in figura accidit Eleazar in libris Machab. Quod monet Gregor. Magnoperè oportet, & bona semper agere, & ab ipsis nos bonis operibus cautè in cogitatione custodire, ne si mentem elevent, bona non sint, quæ non auctori militant, sed elationi. Eleazar in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso, quæ extinxit, occubuit. Quos ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsis, quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt? quasi enim sub hoste, quæ prosternit, moritur, qui de culpâ, quâ superat, elevatur.

## PUNCTUM XXI.

## De jactantia.

**N**on sum sicut ceteri hominum, & c. jejuno, & c. O inanem jactantiam! quam deridens Bernardus: Phariseus hic, ait, stitem mendicans, manus divitiis, & auro plenas ostentat, quid mirum, si vacuus remanet?

Ezechias Rex, quod thesaurus Assyriorum Legatis ostentasset, jussu Domini laetantia audivit: *Eccè dies venient, & auferentur omnia bona omnia, quæ sunt in domo tuâ, & quæ condiderunt Patres tui usque in diem hanc, in Babyloniem. Hæc eorum pœna est, qui sine occasione, & cum quibus non oportet, propalant bona spiritualia, quæ acceperunt, vel temporalia, & c.*

Mox ut ille audivit: *Tu es caput aureum, Dan. 2. fecit statuam auream cubito rum sexaginta. Quid! Totam statuam effingis aureâ, cum caput solum dictum sit aureum? & hujus, altitudinis? O jactantiam tam in spiritualibus, quam in temporalibus! Dices illi: Hæc tua cogitatio bona est, hoc propositum bonum est, totum se hinc factum credit. In temporalibus: habet ille quatuor nummos, vix sex cubitorum est, & sexaginta cubitorum se fingit. Pulchre Theodoretus: Daniel caput solum dixit aureum, superbia statua tota fecit aureâ.*

Verum ut à jactantia aberat Sancti! Quis Jobo major in utrisque divitiis? Job procul

Job. 51.



procul a jactantia tamen dicebat: Si latatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, hoc est; nunquam mihi vanè complacui de rebus meis, &c.

Sunt qui caput tam debile habent, ut gustato modico vini haustu, & etiã odoratu inebriantur. Sic aliqui proclives ad ed sunt ad extollentiã, ut ob quodlibet parvum opus bonum persuasæ perfectiõnis præsumptione gloriantur: è contra verè perfecti se nihili faciunt, nihil se boni habere credunt. Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.

In quis es? Non sum ego Christus. Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.

David: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. (Iterum dico:) Dextera Domini non mea, nisi ut ejus instrumentum) fecit virtutem. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Cùm Paulo, & Barnabæ, post restitutam claudio illi saniratem, vellent Listrenses sacrificare: Conscissis tunicis suis, exierunt in turbas, clamantes, & dicentes: Viri, quid hac facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines vel juxta alios, si idem quibus vos, obnoxij malis sumus. Ut fugiebant! ut gloriam inanè, ac jactantiã abhorrebant!

Ut verè Sancti humiles! Matth. 23. Nudus eram: & cooperuistis me, &c. Domine, quando te vidimus nudum, esurientem? &c.

Notat ibid. Theod. hoc responsum ex humilitate procedere Hoc proprium, inquit, virtutis est, ut opes suas occultet. q. dicant. Non cognoscimus aliquid boni egisse, &c.

Et ignorabat (Moyses) quòd cornuta esset facies sua. (Hebr. quòd splenderet, vel radians esset cutis faciei sue) ex consortio sermonis Domini. q. d. solus ipse proprios non videbat radios: Sancti nimirum propria non vident merita.

Daniel in lacu leonum, viso prandio: Recordatus es, inquit, mei, Deus; Ubi Chryf. hæret, stupèrque vehementer: Aded, inquit, erat humilis? In lacu propter Deum, se indignum existimabat, ut ejus recordaretur, & ut exaudiretur? Recordatus es mei, Deus; Quid dicis? Post tam multa re-

Atè, & præclarè gesta, post miraculum in lactu factum, aded humilè te esse existimas? Certè, inquit: Nam quæcunque fecerimus, servi inutiles sumus. Ipse præocupans implevit evangelicum præceptu, & se nihil existimabat. O quantum id Deo pergratum!

Observat Greg. quod dixit Amos ad Amasiam: Non sum Propheta, neque filius Propheta, armentarius ego sum, vellicans sycamoros; & addit facer Textus: Et dixit Dominus ad me: Vade, & propheta ad populum meum Israel. Quibus Propheta verbis ostenditur, inquit Greg. quia dū de se humilia loquitur impletus est, & mox habere prophetandi spiritū meruit, quia se Prophetam non esse humiliter agnovit.

Huc facit, quod Luc. 7. dixerunt illi de Centurione: Dignus est, ut hoc illi præster, diligit enim gentem nostram. & Synagogam ipse edificavit nobis. Ille autem: Domine, non sum dignus, &c. Ubi Chryf. Illi eam prædicant dignum, ipse se indignum fateatur. Et August. Trepidavit Christum mittere inter parietes suos, & jam intra erat in corde ejus. Itè: Erat anima ejus sedes illius, jam ibi sedebat ille, qui humiles requirebat. Dicendo 'e indignu, præstitit dignu. Unde Chrysof. Si magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes, & magna erunt.

Ut Apostol. timidus in propriis laudibus: In quo quis audeat (in insipientia dico) audeo & ego. Hebrai sunt, & ego, semen Abraham, &c. Ubi Chrysof. Cùm propter pseudoapostolorum fraudem sua narrare cogere, id appellat audaciam, & nō tantam audaciam, verum & insipientiam (ut minus sapiens dico, Chryf. legit, delirans loquor) nos quoque docens, ne in casum absque necessitate gesta nostra jactemus.

Sic posteaquàm per quatuordecim annos, ut vocat Theophyl. siluit raptum, illum coactus deinde referre, in tertia persona refert, & quia aliquo se modo detexerat: Factus sum, inquit, inspiens, vos me coegit. Ante annos quatuordecim. Quod ided adaotavit, ut intelligeretur, ait Ansel. quòd non jactantiã, sed necessitate diceret, quæ per tot annos tacuerat.

Ut etiam prædictus jam Ezechias eruditus

Luc. 17.

D. Greg. 2.

Mor. 27.

Humilitas

Amos ex armentario prophetam fecit.

Luc. 7.

Chrysof.

August.

Humilitate

sunt magna, quæ alioquin exigua opera.

1. Cor. 13.

Quam humilia, & procul a jactantiã Pauli.

D. Chryf.

ibid.

Grac.

D. Chryf.

ibid.

2. Cor. 12.

Theophyl.

ibid.

Anf. ibid.

4. Reg. 20.

L

ditus



Iactantiam fugit Ezechias.  
D. Hieron.

ditus, & pavidus, ne vel lacrymam ostentaret! Sic Hieron. ad illud: *Convertit faciem suam ad parietem templi*, subdit D. Hieron. Juxta quod Salomon palatium extruxerat, vel absolutè ad parietem, ne lacrymas suas allicidentibus ostentare videretur! Ut cautus nunc, qui paulò ante thesauros ostentabat!

Matth. II.

Sed unde Sancti Dei tam humiles? Ubinam hanc animi moderationem didicerunt? In scholâ Salvatoris: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Ioan. 5.  
Iactantiam fugere Christus docuit.  
Chrysost. ibid.

O quàm præclarus humilitatis magister! O quàm illustria in omnibus dedit nobis humilitatis exempla! Cùm paralyticum sanasset: *Ecce* (inquit illi) *sanus factus est, jam noli amplius peccare.* Cur non ait: *Ecce te sanum feci?* Nõne ipse fuerat tanti miraculi auctor? Nõne ipse erat, qui illum sanum fecerat? Chrysost. Intue te Christi humilitatem. Non dixit: *Sanum te feci, sed Sanus factus es.* Voluit itaque hoc exemplo humilitatem docere, & modum, quo in operibus ostentationem, & vanitatem fugiamus.

Matth. 9.

Puellam illam excitaturus, tibicines ejecit, ne tu egrégium aliquod opus paraturus tubâ canas ante te.

Ioan. II.

Lazarum pariter ad vitam revocaturus, cùm plures ibi vidisset, *infremuit spiritu, & turbavit se ipsum, & lacrymatus est.*

Chrysost. in Catenâ.

Nec ad Magdalenam eadem repetit, quæ dixerat Martha. Cur ita? Turba enim aderat multa (inquit Chrysost. in Catenâ) & non erat tempus illorum verborum, sed condescendit, & humiliatur, humanam naturam denudans.

Sap. 18.

Christus cur noctu natus.

Sic, sic semper humilitatis magister, & nascens, & vivens, & moriens humilitatem docuit. In nativitate cur se inter noctis tenebras occultavit, nisi ut humilitatem doceret? *Dum medium silentium tene-rent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit.* Cur noctis tempus ad suam nativitatem elegit, qui ad redimendum mundum, & ad illuminandum illos, qui in tenebris erant, veniebat? Nõne dignior videbatur dies, quæ ad tantum misericordiæ, & pietatis opus eligeretur? Cur igitur noctis tenebras

A elegit? Bern. Jam verò nocte voluit nasci. Ubi ergo sunt, qui tam impudenter gestunt ostentare semetipsos? Primus itaque gressus, quem Christus formavit super terram, hic fuit, docere nos exemplo suo, quomodo semper propter humilitatis amorem, vanitatem fugere debemus, & inter tenebras, quæ facimus, bona opera abscondere, ne inaniter videamur.

B In monte Thabor inter splendores, & vocem cælitus, delapsam, non defuit nubes, nec sermo de excessu, quem completurus erat in Jerusalem.

Cùm memoriam suorum mirabilium facere vellet, se ipsum in escam dedit. At quantum hoc, quæso, contexit? Quamvis modis mirabile hoc opus occultavit? In hoc præcipuè, inquit Angelicus, est verum illud Isaiæ: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator.* seu, ut alij legunt, *Alij.*

D Deus absconsonum, quia nõ unam tantum rem in Eucharistia abscondit; sed plures, scilicet, personam suam, opus, & modum. Sed quare in tam admirabili, & excelso opere sic se abscondit Salvator, & Magister noster, nisi ut humilitatem doceat? Sic observat idem Angelicus, hisce verbis: In his discimus in nobis quoque tria virtuosè abscondi; nostram personam, opera nostra bona, & bonorum operum intentionem.

E Sed jam in Crucis cathedram ascensurus, vel exaltatus quàm se profundè demisit! A regio titulo caput deflexit: Secundum Marcum (ut notat Ambros.) milites exuerunt eum purpurâ. Et subdit (quod nec vacat mysterio) Christus enim ascensurus Crucem, regalia vestimenta deposuit, ut scias, quasi hominem passum esse. O verum igitur humilitatis exemplum! Et nascens, & vivens, & moriens humilitatem docuit.

Optimè Tertullianus: *Nasci se Deus in utero patitur Matris, & expectat natus, adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci.*

Idcirco Sancti tam humiles. Nove tane ad hæc illud, quod iusserat Dominus: *Utrimque alas, & operientes Oraculū.* Ubi ad mores Oleaster: *Confidera, quæso, Cur? quid Olenst. ibid.*

Bern. serm. 3. de Nativitate.

Matth. 17. Cur nubes in Thabor obumbravit?

Christus cur in Eucharistia tam absconditus, Isa. 41.

Sh. Thom. de Euchar. o. 8.

In cruce titulum regium capite inclinavit.

Tertul. lib. de Pat. c. 3.

Exod. 25.

Propitiatorij utrimque alas, & operientes Oraculū. Ubi Cherubim.



quid te admoneat hic Deus. Summus benefactor est, & nihilominus rectus, ut te docebat benefacere, & nolle videri. Sic, sic bene agendum. Fratres, sic curandum, ne inaniter videamur.

Genes. 2.

In Gen. quatuor fluviorum fit mentio. Nomen uni Phison, ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath: nomen secundi Gethon, ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopia: nomen tertii Tigris, ipse vadit contra Assyrios: fluvius autem quartus, ipse est Euphrates. Perge, d. Moyses, & quæ hic fluit ediffere. Nihil addit. Cur hic silet? Mystice ex Gloss. Interl. Euphrates est frugifer, qui terram facit fructiferam. q. d. recte operans, eleemosynas faciens, &c. in abscondito faciat, latenter fluat.

Interlin.

Euphrates quod fluat, tacuit Moyses. Cur? Apoc. 3.

Sed ut ab his longè absunt, qui res suas, vel spirituales, vel temporales ostentant! Qui dicunt: Divites sum, &c. nescii quod sunt pauperes, cæci, miseri, & miserabiles.

1. Pet. 5.

Vatab.

Jacob. 4.

O inanem jactantiam primogenitam superbiæ! Studeamus, Fratres, studeamus humilitati & modestiæ: Omnes autem invicem, ait Petrus. humilitatem insinuate. Vatab. & alij. Arctæ, seu nodis illigatam tenete, ne scilicet à verbis, gestibus, &c. dissolvatur: quia, ut dicit Jacobus: Humilibus Deus dat gratiam.

Sed nunc quid sancti fecerint, ut ab inani gloria, & jactantia procul essent, humilitatēque nodis omnibus illigatam tenerent, ostendamus.

In Vitis Pat.

p. 2. §. 19. Abbas Pœmenē venientem Provincie Iudicem non admittit, ne ob inanem gloriam humilitate excidat.

De sancto Pœmene referebant Sancti seniores, dicentes: Quia quodam tempore, cum advenisset Judex Provincie, audissetque sanctam opinionem beati Pœmenis, desiderabat videre eum, misitque nuncium ad deprecandum, ut susceperet eum. Beatus autem Pœmen contristatus est valde, cogitans apud semetipsum, quia si cœperint nobiles venire ad salutandum, & honorandum me, manifestū est, quia & alij multi etiā populares frequentabunt me, & necesse est, ut per hoc perturbetur secreta vitæ meæ conversatio, & humilitatis gratia, quam cum labore tanto, auxiliante Domino, à juventute mea studui custodire, forsitan surripiente maligno Diabolo, perdam, & vanæ gloriæ incurram laqueos. Hæc ergo apud semetipsum pertractans desinivit

quatenus excusaret magis, & nō susceperet Judicem. Contristatus autem Judex, quia non eum suscepisset, ait ad Officiarium suum: Quoniam nō merui videre hominem Dei, peccatis meis imputo. Veruntamen nimis desideravit per quamecūq; occasionē videre sanctum virum. ExcoGITAVIT ergo hujuscemodi causam, quæ occasionem ei præberet videndi eū: comprehendens enim filiū sororis beati Pœmenis, misit in carcerem, ut per istam occasionem, aut susceperet Judicem, aut certe ipse veniret ad rogandum Judicē. Dixitque ad officium suum. Ut non contristetur sanctus senior, mandate ei, si voluerit venire ad me, necesse est, ut statim educamus eum de carcere, talis enim est causa ejus, quæ non possit impunè transire. Audiens autem mater juvenis, id est, soror sancti Pœmenis, abiit in eremū, ubi erat frater suus, flebatque ad ostium cellulæ ejus cum multo fletu, & ululatu rogans eum, ut descenderet ad Judicem, & rogaret pro filio suo. Beatus autē Pœmen nō solum ad eā nihil dixit, sed nec ostium ei aperuit, ut egrederetur ad eam. Tunc

cœpit illa maledicere ei, ac dicere: Durissime, impiissime, & ferrea viscera gerens, quomodo te tantus dolor fletus mei non flecxit ad misericordiam, quoniam unicū filium habeo, quē in periculo mortis video constitutum? Tunc senior mandavit ei per Fratrem, qui ei ministrabat, dicens: Vade, dic ei: Pœmen filios non genuit, & ideo non dolet. Hæc audiens Judex, dixit amicis suis: Scribite ad eum, ut vel epistolam precatoriam faciat ad me, quatenus possim eum dimittere. Tunc jam quam plurimis sua denotibus, sanctus senior scripsit ad Judicem, dicens: Jubeat nobilitas tua diligenter requirere causam illius, & si quid dignum morte admisit, moriatur, quatenus in hoc præsentis sæculo exolvat crimen peccati sui, ut evadat æternas, ac perpetuæ gehennæ pœnas: sin autem nihil dignū morte commisit, quod justū videtur legibus, ita de eo jube discerni.

At unde hic carni, & sanguini penitus nō acquievit, ut Judicem vivendi eum tam cupidum non admitteret. Quia inanem gloriam permissit, quia elationis, ac jactantiæ occasionē pro posse devitabat.

Nec sereris precibus, nec nepotis periculo monetur.

Commendatiōis literis pro nepote nominis aqua à Iudice postulat.



In Vita Pat.  
p. 2. §. 18.

Cum co-  
mman-  
datur.

F. Necem eum  
pr. videtur.

Ruff. l. 3.  
num. 19.

Referbat idem Beatus Pater, quoniam fuit quidam nuper Monachus Constantinopoli, temporibus Theodotii Imperatoris. Habitabat autem in parva cella prope Præscium, vel Græcè, *proestiu*, qui vocatur in septimo (hoc est, prope suburbium positum in septimo climate, aut regione, nam variaz Urbis, suburbiorumque regiones erant, maximè Constantinopoli, & Alexandria, quæ certo numero distinguebantur.) ubi solent Imperatores egressi de civitate libenter degere. Audiens autem Imperator, quod ibi esset quidam Monachus solitarius, qui nunquam egrediebatur de cella, cœpit deambulando pergere ad eum locum præcepitque sequentibus se Evnuchis, ut nullus proximaret ad cellulam Monachi. Ipse autem solus perrexit, pulsavitque ostium. Surrexit autem Monachus, & aperuit ei, & non cognovit eum, quod esset Imperator, eulerat enim sibi coronam de capite, ut non cognosceretur. Post orationem autem sederunt pariter, & interrogavit eum Imperator: Quomodo sancti Patres degunt in Ægypto? Respondensque Monachus, ait: Omnes exorant Deum pro salute vestra. Aspiciebat autem Imperator intentè cellulam ipsam, & nihil in ea vidit, nisi paucos panes siccos in sporta pendentes, & dixit ei: Da mihi benedictionem, Abba, ut reficiamur. Statimque festinavit Monachus, & misit aquam, & sal, & misit buccellas, & comederunt pariter, porrexitque etiam calicem aquæ, & bibit. Tunc Theodosius Imperator dixit: Scis, quis ego sim? Respondens Monachus dixit: Nescio. Dixitque ei: Ego sum Theodosius Imperator, & ob devotionem huc veni. Hoc cum audisset Monachus, prostravit se ante illum. At ille dixit ei: Beati estis vos Monachi, qui secuti, ac liberi de negotiis sæculi, tranquillam, & quietam perfrimini vitam, & solam modò de salute animarum vestrarum habetis sollicitudinem, quomodo ad vitam æternam, & ad cælestia præmia pervenire possitis. In veritate enim dico tibi, quia ætè in regno natus sum, & nunc in regno deo, & nunquam sine sollicitudine cibum capio. Velut habet Ruffinus, nunquam ita deestatus sum pane, & aqua sicut hodie, satis enim libenter comedi. Post hæc autem

A honorificè salutavit eum Imperator, & ita egressus est ab eo. Eadè autem nocte cœpit intra se cogitare famulus Dei, dicens: Quoniam non oportet jam me in hoc loco esse, multi enim non solum de populo, sed etià de palatio, & de Senatoribus quæ plurimi, exemplum Imperatoris secuti, ad videendum me venturi sunt, & honorem mihi, tanquam servo Dei deferendo, non cessabunt. Et illi quidem propter nomen Domini facturi sunt, ego autem timeo, ne fortè Diabolus malignus mihi subrepat (vel ut est in aliis codicibus, meritum subripiat) & libenter incipiam eos suscipere, & condelectetur cor meum laude, & honore eorum, & per hæc jam incipiam virtutem humilitatis perdere, & laudibus, atque honoribus hominum delectari. Hæc igitur homo Dei secum cogitans eadem nocte fugit inde, & perrexit in Ægyptum.

B  
C Itaque consideremus, dilectissimi Fratres, quanta sollicitudine virtutem humilitatis custodire famulus Dei studuit, ut in cælesti regno æternam gloriam pro labore sanctæ vitæ suæ, quam propter nomen Domini exercuerat, percipere à Christo Domino mereretur.

Solenne fuit Sanctis, ad inanem gloriam declinandam, fugam arripere.

D Ægidius Atheniensis, quoniam non tam regia stirpe, quam virtute, & miraculis clarere cœperat, iactationis occasione fugiens, patriam dereliquit, ad eremum se contulit, & dum apud Veredeniū Bremiam in agro Arelatensi habitaret, sabuloso, ac sterili solo, ab ipso terræ Conditore Deo fœcuaditatem precibus impetravit. Mox inde discedens, vastioris solitudinis latebras petiit, ibi quærens domicilium locum, ubi non facile mortalium de se rumores audire possent.

E Jodocus itè fama sanctitatis, Regumque Britannia stirpe clarus, dum solitarii habitaret, & signorum, quæ fecerat, cum multis ad videndum eum diversis ex partibus excivisset, videns in tantam se aduentium frequentiam periclitari humilitatè, in ulteriorem deserti angulum sedem transfugit, ut tã ab inanis gloriæ cupidine, quam à consuetudine hominum procul esset.

Alexius quoque Euphemiani consularis viri filius, sprete generis nobilitate Romæ de-

Fugit honorem  
Monachus, ne  
ob inanem glori-  
am humili-  
tatis iacturam  
faciat.

Marol. c. 1. l. 4.

Ægidius in-  
nis gloriæ occa-  
sionem fugit.

Ibidem.  
Iodocus idem  
facit.

Ibidem.  
Sic Alexius.



Accedens, Edeffam Syriæ urbem venit: & inter alienigenas septendecim annos incognitus mendicavit. At postquam vulgatum est, voce divinitus allatâ, Alexium mendicû in Ecclesiâ recipiendum, videns ibidem miraculum illud honori sibi futurum, Laodiceam est profectus, à Laodicea Tharsum, à Tharsò rediit Româ, ubi in paterna domo pro peregrino pauperculo susceptus, alios septendecim duravit annos in summa rerum inopia, statûque miserabili, nec ipsis genitoribus suis sese manifestans ob hoc præsertim, ne agnitû honore afficerent. In exitu vitæ & quis, & quantus esset, apparuit: hoc signis, prodigiisque instanter editis, illud chirographo in manu defuncti reperito, ac rei ordinem indicante. Tunc, scilicet, cum jam superato vanæ ambitionis periculo, securâ humilitas ad cælos properabat, veræ, immortalisq; gloriæ honore semper fruitura. O beatus! ô felicis! qui sic se humiliavit in terris, ut exalteretur in cælis.

Pelag. libel. 17.  
n. 86.

Ita Eulalius.

Quid humilitatis amor nõ efficit? In Vitis Pat. fuit quidam in Monasterio, nomine Eulalius, nimis gratia humilitatis ornatus. Si quid igitur, ut solet, culpabile admisissent Fratres negligentiores, excusantes culpas suas, supradictum fratrem asseriebant esse culpabilem. Cùmque argueretur à senioribus Fratribus, nõ negabat, sed prosternebat se in terram, & adorans eos, se dicebat peccasse, & negligenter fecisse. Cùm autem Monasterij Abbas innocentiam ejus cunctis testatam vellet, jussit omnium matulas in ignem imponi, quæ statim omnes combustæ sunt, præter matulam Fratris Eulalij. Quo non solum omni suspitione fuit absolutus, verum etiam ob miraculum magna in veneratione haberi à Fratribus cœpit. Verum ea se in celebritate esse indignè fereas, procul inde secessit in desertum, maluitque in speluncis cum feris habitare, quàm in Monasterio ab hominib; honorari, memor dictum esse à Propheta: *Salvabuntur, qui fugerint ex eis, & erunt in montibus quasi columba convallium.*

Ezech. 7.

Cass. l. 4. de  
inst. renunc.  
c. 50.

Pymphius ob

Pymphius etiam Abbas, apud Cassianum, in fuga jactantiæ, inanisque gloriæ insignis fuit. Is, inquit Cassianus, cum esset immanis Cœnobij Presbyter in Ægy-

pro, nõ longè à Panephyk civitate, & pro ipsa reverentia vel vitæ suæ, vel ætatis, vel sacerdotij cunctis honorabili, ac venerandus existeret, videns se pro hoc ipso humilitatè illam, quam secundum suæ mentis ardorè concupierat, exercere nõ posse, nec habere, quo virtutè desideratè subjectionis extenderet, clam fugiens de Cœnobio, secessit solus in Thebaidis ultimas partes, ibique deposito habitu Monachorû, assumpta sæculari veste, Cœnobium Tabenneitarum exiit, quod sciebat cunctis esse districtius, & in quo se vel pro longitudine regionis credidit ignorandum, vel pro magnitudine Monasterij, ac multitudine Fratrum facile posse celari. Ubi diutissimè pro fortibus perseverans, cunctorum Fratrum genib; provolutus, ut susciperetur, summis precibus exorabat. Cùmque multo despectu tandè fuisset admissus, quod scilicet decrepitus senex, & qui omnem suam pervixisset ætatem, ingredi Cœnobium postularet, quo tempore jam ne deservire quidè suis voluptatibus prævaleret, ac ne hoc quidem ipsum causa Religionis eum expetere assererent, sed famis, & inopiæ necessitate constrictum, ut seni, nullique operi penitus apro, horri cura, diligentiaque mandatur. Quam sub alio Fratre juniore, qui eum sibi creditû retinebat exercens, sic eidem subdebat, tantæque obedientia desideratâ humilitatis excolebat virtutem, ut non solum ea, quæ ad horti curam, diligentiamq; pertinebant, verum etiam universa officia, quæ cunctis erant aspera, vel indigna, atque ab omnibus ducèbantur horrore, tota quotidie sedulitate completeret. Quamplura etiam, nocte consurgens, ita furim, nullo teste, vel conscio, tenebris oculentibus faciebat, ut penitus authorè operis nemo deprehenderet. Cùmq; ibidem triennio delitescens, dispersis per universam Ægyptû ubique Fratribus quæreretur, à quodam tandè, qui de Ægypti partibus commearat, vix potuit pro humilitate habitus sui, ac utilitate officij, quod gerebat, agnosci. Nam sarculo deorsum incurvus laxabat oleribus terram, deinde sterco humeris suis advectans, eorum radicibus ingerebat. Cùmque hoc intuens Frater super

humilitatem,  
relicto Cœno-  
bio, cui præ-  
ras, longinquè  
Monasterium,  
in quo velus  
insipiens susci-  
peretur, desi-  
derio subjectionis  
expetit.

l. 3 agnitio.



agnitione ejus diutissima fuisset hæsitacione detentus, propius tandē accedens, & non solum vulcum, sed etiam sonū vocis diligenter explorans, ad pedes ejus cominus procidens, primò quidem super hoc stuporem summum videntibus cunctis incussit, cur videlicet istud fecerit ei, qui apud ipsos, velut Novitius, & de sæculo nuper egressus habebatur extremus: post verò miraculo sunt majore percussit, cum ejus nomen, quod apud ipsos quoque magnā fuerat opinionem comperit, protinus prodidisset. A quo reversi. Fratres prioris ignorantia veniam postulantes, quòd eum videlicet tanto tempore inter juniores, ac parvulos deputassent, invitum, ac flentem, quòd invidia Diaboli digna fuisset conversatione, atque humilitate fraudatus, quàm diutissimè requisitum, tandem aliquando se invenisse gaudebat: nec meruisset vitam suam in illa, quam arripuerat, subjectione finire, ad propriū Cœnobiū reduxerunt, custodientes eum summa diligentia, ne ab eis quoque similiter quoquam dilapsus aufugeret.

*Reductus Pymphius in Monasterium, iterum inde fugit.*

Ubi cum fuisset modico tempore demoratus, eodem rursus humilitatis desiderio, atque ardore succensus, captans nocturna silentia, ita diffugit, ut jam non vicinā provinciam, sed ignotas, & alienas, longèque divisas regiones expeteret. Nā conscendens navem in Palæstinæ partes commeari festinavit, credens, se rurius latitaturū, si ad illa semetipsum asportare loca, in quibus ne nomen quidem suum fuisset auditū. Quòd cum advenisset, nostrum Monasterium prorinùs expetivit, quod non longè fuit à spelæo, in quo Dominus noster Jesus Christus ex Virgine nasci dignatus est. In quo, per modico tempore delitescens, secundum sententiam Domini, tanquàm civitas super montem posita, diutius abscondi non potuit. Nam continuò quidam Fratrum, qui ad loca sancta de Ægypti partibus orationis causā convenerant, agnitū eum, summa vi precum, ad suum Cœnobiū revocarunt.

*D. Hieron. in Vita Hilarionis.*

Sed qui iterum de Hilarione dicemus? Dignus is certe est, cujus iterum mentio fiat. Sexagesimo tertio vitæ suæ anno ceruens jam grande Monasterium, & multi-

rudinem Fratrum secum habitantiū, turbasque eorum, qui diversis languoribus, & immundis Spiritibus occupatos ad se deducebant, ita ut omni genere hominū solito do per circuitum repletur; fiebat quotidie, & incredibili desiderio conversationis antiquè recordabatur. Interrogatus à Fratribus, quid haberet, cur se conficeret, ait: Rursum ad sæculum redij, & recepi mercedem meam in vita mea. Currebant Episcopi, Presbyteri, Clericorum, & Monachorum greges, matronæ quoque, Christianorū grandis tentatio, & hinc inde ex urbibus, & agris vulgè ignobile, se: & potentes viri, & Judices, ut benedictum ab eo panem, vel oleum acciperent: at ille nihil aliud, nisi solitudinè meditabatur. Deniq; biennio (ut summam ex D. Hieron. vitam illius cursum perstringamus) in tali animi sollicitudine peracto, cum postremò comedere nollet, donec discidium impetraret, & jam dies septem nihil gustasset, ne inediā conficeretur, dimissus, reliquit Palæstinam.

Præterea gloriā semper fugiendū, dū crebrò sedem mutat, Verculum, Pelusium, Thebatum, Babylonē, que peragravit. Deinde Aphroditon, Eremū Antonij, rursus Aphroditon, Alexandriā, Oasā, Brutiū, Pareconium, inde Siciliā, & inde Epidaurum, ac posthæc Cyprum. Quibus in insulis cum sese abdidisset, tum malignis Spiritibus conclamantibus, tum miraculis cum ubique prodentibus, diu latere nō potuit. Cum denique viribus partim labore exhaustis è Cypro emigrare, non posset, ibidem & fugæ finis, & vitæ fuit.

Sed quid o viri Dei, fugitis? Ad quid tam sæpe sedem mutatis? Memores verbi Salvatoris diffugiunt: *Cum vos persecuti. Job. 6. fuerim in civitate ista, fugite in aliam. Memoréque Magistri, qui cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.*

*Fuge, dilecte mi, & assimulare caprea, binuloque cervorum super montes aromatum. Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, ut intueamur te. Quid! nonne vidisti eam? annon hic modò erat? quòd nunc abiit? Fugam arripuit. Quamobrè? Quia viderunt eam filia Sion, & beatissimam prædicaverunt, Regina, & concubina, & laudaverunt eā.*

Fugione

*Hilarion se honorari con- queritur, & solitudinè semper medi- satur.*

*Omnes mun- di lacrimas perquiris.*

*Cant. 8.*

*Cant. 6.*



Fugiunt itaque Sancti, cum honorantur, consistunt, dum contemnantur.

In Vita Pat.

2. 1.

Petrus Telonarius dum ut fatuus spernitur, manet dum honoratur, fugit.

Petrus cognomento Telonarius, relictus in Vita S. Joannis Eleemosynarij, distractis pro Christi amore amplissimis facultatibus, se nec ipsum quin etiam servum venalitium fecit. Divenditus vero, domi aliquando domino coquinabat, aliquando autem ejus abluebat pannos, quam nunquam prius in quolibet horum fuerit assuetus. Cumque gratiam invenisset in oculis domini sui, eo quod omnium humilitate ea omnia prestatet, vidissetque eum dominus saepe convitia perferre, & percuti a conservis (habebat enim eum tanquam amantem, ita ut nomen ei imponeret amentis) voluit eum libertate donare: at ille pro Christo servus, amensque haberi voluit; donec agnitus a quopiam, qui illum venerat, edito prius insigni miraculo, au fugit. Itaque tunc fugit, cum coheretur ut liber: tunc mansit, cum teneretur ut servus, cum sperneretur ut fatuus.

In Vita Pat.

Virgo quaedam

D. Pictorio

sanctior, habitata ut fatua, manet; ut sancta, fugit.

Fuit quaedam Virgo, ex relato D. Basilij, in quodam Monasterio foeminarum, quae stultam esse, ac Daemonem se habere, simulabat, quae usque adeo ab omnibus aliis horrore habebatur, ut nec cibum quidem cum ea acciperetur: talem siquidem vitam elegerat, ut a coquina nunquam recedens, totius illic ministerij implet officium, & erat secundum vulgare proverbium, universae domus spongia, impletum in se rebus probans, quod in sanctis libris scriptum legimus: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc mundo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Haec igitur involutum pannis habebat caput, & ita omnibus serviebat; caeterae autem Virgines tonsae, cucullis cooperiebantur. Nulla aliquando hanc potuit de quadringentis videre madducantem, nunquam per omne aevum suum sedit ad mensam, a nullo vel modicam partem panis accepit, sed micam tantum detergens illarum mensarum, & abluens ollas, his solis alimoniis contenta vivebat. Nulli unquam fecit injuriam: nulla ipsius murmur audivit: nulli aut parum, aut satis locuta est. Et certe cum ab omnibus caederetur, cum omnium vive-

1. Cor. 3.

ret odio, maledicta omnium sustineret: Sancto Pictorio, cui hoc vocabulum erat, probatissimo viro, semperque in deserto viventi, astitit Angelus Domini quadam die sedenti in loco, qui dicitur Porfirica, affatusque est eum his verbis? Cur, inquit, grande aliquid te esse credis, ut Sanctus in hujusmodi degens loco? Vis videre mulierem te sanctiorem? Vade ad Tabennensitarum Monasterium foeminarum, & unam ex ipsis illic invenies, in capite habentem coronam, ipsam cognoscere te esse meliorem, quae dum contra tantum populū sola diebus, ac noctibus pugnat, cor ipsius nunquam a Deo recedit: tu autem uno in loco residens, nec quoquam aliquando progrediens, per omnes urbes animo, & cogitatione vagaris.

Statimque ad supradictum Monasterium venit, & Magistros Fratrum rogavit, ut introducerent eum ad habitaculum foeminarum. Quem mox illi ut virum gloriosum, virū etiam profectionis aetatis, cum grandi fiducia introduci fecerunt. Ingressus autem omnes sorores desideravit inspicere, inter quas solam illam, pro qua venerat, non videbat. Ait autem ad postremam: Omnes, inquit, mihi adducite, deesse enim mihi videtur aliqua. Dicunt ad eum: Unam stultam habemus intrinsecus in coquina. Sic enim eam, quae a Daemonio vexabatur, appellabant. Et ait ille: Exhibere ad me ipsam quoque, ut eam videam. Quo audito, supra memoratam vocare coeperunt. Quae cum noller venire, sentiens, ut credo, aliquid, aut fortassis hoc ipsum divina revelatione cognoscens, dicunt ei: Sanctus Pictorius te videre desiderat. Erat autem vir fama, & nomine grandis. Cumque ad eum fuisset exhibita, & vidisset pannos in fronte ipsius involutos, projecit se ad pedes ejus, dicens: Benedic me. Rursus ad ipsius pedes & ipsa corruens: Tu me, inquit, benedic, Domine. Omnes vero sorores obstupuerunt simul dicentes: Noli, Abba, talem tibi facere injuriam: fatua est enim ipsa, quam cernis. Tunc Sanctus Pictorius ipsis omnibus ait: Vos magis estis fatuae: nam haec & vestra, & mea est Noëna. Hoc enim nomen vocant illi foeminas spirituales.

Et.



Et deprecor Deū, ait, ut ita dignus in die Judicij mereat inveniri. Quo audito, omnes simul ad pedes ejus prociderunt; singulari varia peccata, & proptia confidentes. Alia autem abluens lordes catini, supra eam se fudisse, dicebat: alie verò colaphis eam à se verberatam sepe memorabant: alie nares ipsius sinapi impletas à se esse deshebant: cetera quoque diversas referebant se ei injurias irrogasse: pro quibus omnibus ille suis Deo precibus, egressus est. Post paucos autem dies, non ferens illa tantam sui gloriam, tantòque se nolens Sororum honore cumulari, gravius credens singularum excusationibus, egressa de Monasterio illo occultè, quòd icrit, in quem se miserit locum, ad nullius potuit notitiam pervenire.

D. Basil. in  
Const. Mo-  
nast. c. 12.

Quid, rursus quæro, tantoperè fugiebant? Basil. Inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliaticem, jucundū animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum depredatricem, eandemq; mollis illitu fraudis sui veneni coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi perporrectricem.

A quo vitio in tantum viri Dei semper abhorruerunt, ut eorum plerique, ne in aliquo honore haberentur, qualdam veluti ineptias fecerint, ac fatuos se esse simulaverint.

In Vitis Pat.  
p. 2.

Simon, ut  
humanam glo-  
riam devota-  
ret, panem, &  
caseum man-  
ducans à quo-  
dam Iudice  
voluit inve-  
niri.

Quadam vice Judex quidam venit videre Abbatem Simeonem, & præcedentes Clerici dixerunt ei: Abba, paratus esto: quia Judex audiens de te venit. Et ille ait: Etiam ego me præparabo. Et cooperiens se sacco suo, & tollens in manu sua panem, & caseum: sedit in egressu cellæ suæ, & cepit manducare. Venit ergo Judex cum officio suo, & videntes eum, spreverunt, dicentes: Hic est Monachus solitarius, de quo talia audiebamus? Et statim recesserunt, & reversi sunt ad se.

Item. Senex erat in inferioribus eremi partibus, & sedebat quiescens in spelunca: unus autem sæcularis homo Religiosus ministrabat ei. Contigit verò, ut filius sæcularis illius infirmaretur. Multis ergo precibus postulabat senem, ut veniret in domum suam, & faceret orationem pro infante, & surgens senex ambulabat cum

eo. Ille autem præcessit eum, & ingressus in domum suam, dixit: Venite in occursum Anachoretæ. Quos cum senex vidisset de longè egressos cum lampadibus, sensit, quòd ad se venirent: & statim despolians se vestimenta sua, misit se in flumen, & cepit ea lavare stans nudus. Ille autem, qui ministrabat ei, videns hoc, erubuit, & rogavit homines, dicens: Revertimini: senex enim noster sensum perdidit. Veniens verò ad senem, dixit ei: Abba, quid hoc fecisti? omnes enim, qui te viderunt, dixerunt, quòd demonium haberet senex. Cui ille: Et ego volebam hoc audire.

Sed quanta his similia, ac multò admirabilia Simon ille Salus fecisse narratur: Eruditissimus, Lipomanus apud Surrum, sic præfatur. Cum sequentè historiam percurreris, Lector candidissime, ne quæso, scandalizeris, videns sanctum, & sapientem virum, propter Christum ad eò se humiliasse, ut fatuus ab omnibus æstimari voluerit. Miri sunt sancti Spiritus afflatus, & stupenda in servis suis divina judicia. Simeonem nunc elegit stultitiam simulantem, ut confundat sapientes, & per ejus lulum mundum ludificans, tam fidelium, quàm infidelium animas ad se convertit. Hic igitur cum jam ad eminentem perfectionis, sanctitatisque gradum pervenisset, videns Dei benignitatem multa per eum, eaque ingenua, ac valde stupenda signa facere, illud in animum induxit suum, ut eadem ad inanem gloriam devitandam, sub quibusdam ineptiis, ac veluti stultitiis pro viribus occultaret.

Èinc quadam die Emesam civitatem ingressus, invèto in sterquilinio cane mortuo, solutaq; quam habebat ex fune, zonulà, ejusque pede alligato; eum traxit currens prope locum, ubi erat schola puerorum. Cum ergo eum vidissent pueri, cooperunt clamare: Abbas stultus; & aggressi sunt post eum currere. & ei colaphos impingere. Post die autem ejus diei, cum esset dies Dominicus, accepit nuces, & ingressus est in Ecclesiam, in principio Officij, amputans, & extinguens candelas. Postquam verò, ut eum educerent, accurrissent, ascendit umbonem, & illinc nucus lapidabat mulieres. Cum autem eum multo labore eduxissent, dum egredieret, subver-

Sur. x. Iul. c. 4.  
Simeon salus  
stultitiam si-  
mulat, ut in-  
anem gloriam  
fugiat.



subvertit libros placentiariorum, & cætera sexcenta id genus alia, sub quibus, ut narrat Leonius, relatus à Metaphraste, valde mira ad humilitatem tuendam nifus est occultare signa.

*Raccius in  
Vita S. Philip.  
l. 3. c. 18.  
S. Philip. No-  
rius stultum  
se simulat, ut  
humilitatem  
custodiat.*

Sanctissimus occurrit hoc loco P. N. Philippus Neri, huic non absimilis, quippe qui illud unum impensius meditatatus videtur, quoniam pacto veluti stultus ab omnibus haberetur: unde modò media in platea saltare visus est; modò in loco frequentiore ab aquatore veluti sticiens aquam efflagitare, & coram omnibus hibern, nunc semitonius incedere, modò genistæ flores præ manibus gestare, nunc ineptiarum libellos legentē audire, nunc pellicea quadam veste indutus pompatice deambulare, hæcque, & alia similia facere, quibus humillimè de se ipso sentiens, pro viribus conatus est, ut idem cæteri de ipso sentirent.

Nec his contenti, tantâ prætereà viri Dei tuendæ humilitatis aviditate teneantur, ut non solum honores fugiant, nec solum stultitiam simulent, verum etiā aliquid sibiipsis demant, & quodammodo detrahant, propriisque in detractio- nibus exultent.

*In Vit. Pgt.  
p. 2.*

*Abbas Moyses  
Indici de se  
suscitant:  
Moyse, inquit,  
fatuus est, &  
Hæreticus.*

Audivit aliquando Judex Provinciæ de Abbate Moyse: & perrexit, ut videret eum (aliàs, ut adoraret eum) & nunciaverunt seni de adventu ejus, & surrexit, ut fugeret in paludem. Et occurrit ei Judex ille cum suis, & interrogavit eum, dicens: Dic nobis, senex, ubi est cella Abbatis Moyse? Et dixit eis: Quid vultis eum inquirere? Homo fatuus est, & Hæreticus. Et veniens Judex ad Eccl. siam, dixit Clericis: Ego audiens de Abbate Moyse, veni, ut viderem eum, & ecce occurrit nobis senex pergens in Egyptum, & interrogavimus eum, ubi est cella Abbatis Moyse? & dixit nobis: Quid eum queritis? fatuus est, & Hæreticus. Audientes autem Clerici, contristati sunt, dicentes: Qualis erat senex ille, qui hæc de Sancto locutus est ad vos? Et illi dixerunt: Senex vetustissimis vestimentis utens, longus, & niger. Et illi dixerunt: Ipse est Abbas Moyse, & quia noluit videri à vobis, id-

*Speranza Scriptura selecta.*

A eò hæc vobis ipse de se dixit. Et multum edificatus Judex discessit.

Ex Chronicis. Cum se D. Franciscus inter homines famâ sanctitatis effert per- *D. Franciscus in contumeliis cepisset, ne quam ex eo vanitatem, aut exultat. voluptatem caperet, alteri negotium dedit, ut è contra probis, perulantiaque ipsum incessest. Et cum ille rusticum, idiotam, ignavum, inutilemque eum appellasset; calumnianti gratias agebat, affirmans, verius de se sentire oblocutores suos, quàm laudatores, qui opinione decepti, supra id, quod esset, se æstimarent. Memor erat Isai dicentis: Populo meus, qui Isa. 5. te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.*

De Constantio Anconitanæ Ecclesiæ mansionario Greg. Dial. Quia, inquit, valde opinio sanctitatis ejus excreverat, multi hunc ex diversis Provinciis anxie videre stiebant. Quadam vero die ex longinquo loco ad videndum eum quidam rusticus venit. Eadē verò hora casu contigerat, ut sanctus vir stans in ligneis gradibus, reficiendis lampadibus deserviret. Erat autem pusillus valde, exili formâ, atque despectâ. Cùmque is, qui ad videndum eum venerat, quisnam esset, inquireret, atque obnixè peteret, ut sibi debuisset ostendi, hi, qui illum noverant, monstraverunt, quis esset. Sed sicut stultæ mē- *D. Greg. l. 1. Dial. c. 5.*

res hominum merita ex qualitate corporis metiuntur, eum parvulum, atque despectum videns, ipsum hunc esse, nō cœpit omninò credere, in mente etenim rusticâ inter hoc, quod audierat, & videbat, quasi facta fuerat quædam rixa, & æstimabat tam brevem per visionem esse nō posse, quem tam ingentem audierat per opinionem. Cùmque ipsum eum esse à pluribus fuisset assertum: despexit, & cœpit irridere, dicens: Ego grandem hominem credidi, iste autem de homine nihil habet. Quod ut vir Constantius audivit, lampades, quas reficiebat, protinus relinquens, lætus cœcitus descendit, atque in ejusdē rustici amplexum ruit, eumque ex amore nimio constringere cœpit brachiis, & osculari, magnâque gratias agere, quòd de se talia judicasset, dicens: Tu solus es, qui in me apertos oculos habuisti. Quâ ex re *Nemo quia parvus, idcirco parvus.*

E M (subdit



(subdit Gregorius) pensandum est, cujus apud se humilitatis fuerit, qui despicientem se rusticum amplius amavit. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles sua despectione gratulantur. Cumque se, & in alienis oculis viles aspiciunt, idcirco gaudent, quia hoc iudicio confirmari intelligunt, quod de se & ipsi apud semetipsos habuerunt.

## De confidentia in Oratione.

Acceptarum gratiarum memoria  
motivum est confidentie.

## PUNCTUM XXII.

Psal. 16.  
Orandi fiducia  
præbet  
fuisse exan-  
ditum.

D. Greg. 35.  
Mor. 3.

Psal. 56.

Gen. 4.

Alij.

Gen. 15.

**E**go clamavi, quoniam exaudisti me, Deus, inclina aurem tuam, & exaudi verba mea. Quid jam, ô Rex, exauditus clamas? Nunc, nunc fiducialiter clamo, inquit David, quoniam alias exaudivit me, & spero alias me exaudiet, Super quæ verba Greg. Non ait, quia clamavi, exaudisti me, sed clamavi, quoniam exaudisti me, qui enim loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exaudiri clamans.

Sic August. ad illud: *Clamabo ad Deum altissimum.* Quomodo inquit, te audivit clamantem, si altissimus est? Nata est nimirum experimento fiducia. *Ad Deum,* inquit, *qui benefecit mihi.* Huc facit illud primæ parentis Evæ, postquam peperit Cain, dicentis: *Possedi hominem per Deum,* quod alij transferunt: *Possedi virum, & Dominum,* hoc est, ex accepta jam gratia gratias expecto. *Possedi virum, & Dominum.*

Quondam Deus vocavit Abraham: *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit sementium in terra non sua, & subjucient eos servituti.* Et quoad durabit hæc servitus? *Et affligent quadringentis annis, & post hæc egredientur cum magna substantia.* Quis id facile credat? *Ego Dominus,* jam præmiserat, *qui eduxit te de Vr Chaldaorum,* hoc est, de fornace ignis, in quam, ceu veri Numinis adorator missus fuisti. Sed cur hanc liberationem memorat? Ut spem hujuscæ alterius liberationis concipiant.

**A** Hinc toties hoc idem ad memoriam revocabat Abraham ad concipiendam spem: *Deus, qui eduxit me de Vr Chaldaorum.* Sic in periculis, in difficillimis: *Dominus, qui eduxit me de Vr Chaldaorum;* tum memoria accepti beneficii, tum fiducia recipiendi.

Sic, ut observat Dionys. invitans populum ad fiducialiter postulandam, ajebat *Dionys. David: Dilata os tuum, & implebo illud. Richel. Præmittit motivum fiducia: Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Egypti: dilata, &c.* Exod. 17.

Hanc eandem spem novarum gratiarum ex acceptis jam gratiis Moysen docuit, cum jussit, ut cum virgâ montem conscenderet, unde à populo adversus Amalecitas pugnaturus virga cerneretur: *Ego ascendam in montem, habens virgam Dei in manu meâ.* Mirum! sustentatione, ac adjutorio indigebat, nec manus elevatas tenere jam poterat, &c. eas virga onerat? Quid eam elevas, si non potes? O mysterium! Tota fiducia ex illâ aliâs potenti virgâ nasci debebat, idem eam elevat, & eundem populi oculos ostendit, ut quondam per eam patratorem magnalium recordaretur, & confideret, ac speraret auxiliû. q. diceret: *Bellate, ô milites, sed oculos ad virgam hanc potius, quam ad arma levate: levate oculos ad montem, unde venit auxilium vobis.* Ubi notandum signanter appellasse virgam, *virgam Dei,* ut omnipotentia meminissent, O ex acceptis jam aliis victoriis, victoriam sperarent.

Erant in mari discipuli, tempestas exoritur, petteriti incipiunt diffidere, quibus Dominus: *Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panem in quinq. millia hominum, & quot cochinos sumpsistis? neque septem panem in quatuor millia hominû, quot sportas sumpsistis?* q. d. Confidite & nunc. *Matth. 6.*

**E** Ut hoc motivo utebatur David! *Qui inclinavit aurem suam mihi, & in diebus meis invocabo;* hoc est: quia me exaudire solet, diebus meis, quam diu vivam, cum invocabo. *D. Basil. illud, & accipit pro, ideo, ac si dixisset: Quia autem mihi sæpius præbuit, idem per totam vitam Deum invocabo.* *D. Basil. ibid.*

Pulchrè *D. Ennod. Percipio spe futura, quæ deprecor, nesciunt in foribus hærete, quæ celo authore tribuntur, semper incre-* *D. Ennod. l. 5. epist. 16.*

Beneficiorum  
Dei priorum  
recordatio  
spem facit  
posteriorum.

Psal.

Jan.

2. R.  
E.  
Heb.  
Abi.

Ben.  
unu.  
græ.  
Fid.  
gene.  
fidel.  
Ma.

Matth. 6.

Psal. 114.  
Geneb. ibid.

Na.

D.

D.